Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1753
Quelle:
Copyright:

terieCtionem ponit non ſuperfluam ut puta. ac ſi diceret bis fili. *vt bis vocatus ad audiendum ſit magis attentus* &c. Ad calcem *Tabula expoſicionis preſcripte*, et: *Orate pro ſcriptore fratre ueſtro. Amen.* Dixi paullo plura de hoc Commentario, quoniam typis nunquam vulgatum fuiſſe puto. Autor Gallus, Monachus primum *Saviniacenſis*, dein Abbas *Lerinenſis* et *Caſſinenſis*, tandem purpura Romana condecoratus vel ab *Urbano* IV. vel a *Clemente* IV. video enim diſſentire Scriptores. Cognomen ei *Aiglerio*, annus extremus 1282. fuit. Adi de eo *Oudinum* T. III. *col.* 474. et *Eraſmi Gattulae Hiſt. Abbatiae Caſſin.* P. II. pp. 435. 484. et ſeq.

Addita eſt calci manu Sec. XV. haec Nota: *Dominus Anſhelmus pie memorie Profeſſus huius Monaſterij ſcripſit premiſſam expoſitionem ſuper regula beati BenediCti abbatis. Sed ipſam regulam beati BenediCti, que premittitur expoſicioni, ſcripſit pater Antonius profeſſus in Mellico, qui huc venerat de Specu. Orate dileCtiſſimi pro ambobus.* Atque ex ea certum mihi fit, Codicem in *Mellicenſi Auſtriae* infer. Coenobio ſcriptum fuiſſe, in quo coepta eſt reformatio Status monaſtici per *Auſtriam* ſub praediCti Seculi initia agente maxime *Nicolao de Matzen* noſtrate, qui circa annum 1403. in Monaſterio *Sublacenſi*, cui D. *BenediCti Specus* adjunCta, monachum induerat, atque inde a. 1418. quinque colonos ſecum in *Auſtriam*, adeoque *Mellicum* deduxit. Horum primus erat ſupra diCtus *Antonius de Catalonia*, qui vitam apud nos ad an. 1437. produxit, teſte *Mart. Kropſio* in *Biblioth. Mellic.* p. 218. apud quem totum Reformationis negotium a p. 144. exponitur. Ad *Dorotheanos* Codex illa occaſione devenire potuit, quod *Nicolaus* cum his in primis piae Confoederationis paCtum iniit, ut idem *Kropſius* p. 193. refert.

DCCXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 213. 12. eleganter exaratus, et rubricis diſtinCtus exhibet I. *Regulam S. BenediCti* Monachorum in Occidente Patriarchae, cujus Prooemium incipit: *Auſculta, o fili, precepta magiſtri* &c. Prooemium excipit Index *Capitulorum* LXXIII. et hunc Textus ipſe, prout extat in *Lucae Holſtenii Codice Regularum* rurſus edito a *Mariano Brockie Aug. Vindel.* 1759. T. I. p. 113. f. R. 3352

Fol. 102. *Incipiunt capitula ſequentis libri. Capitulum primum de imitatione chriſti et contemptu omnium vanitatum mundi.* Notantur omnia XXV. Capita *primi* hujus Libelli *Kempiſiani* a tribus ceteris, quod non inſolens, divulſi, ſed Textus ab his C. XX. verbis: *In ſilentio et quiete proficit anima deuota, et* — — excidit, usque ad C. *ult.* verba: *expendas fruCtuoſe. Vigila ſuper te ipſum* &c. Accedit Clauſula miniata: *Finita*